

Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts

**Syncharistili Quas Reverendo Et Clarissimo Viro Matthiae
Hoe Austriaco, cum Serenissimi Electoris Saxoniae Dn.
Dn. Christiani II. Clementißimo nutu, ad verbi divini
Ministerium in Aulam Dresdanam ...**

Hoë von Hoënegg, Matthias

Witedergae: Raab, 1602

VD17 547:665384L

urn:nbn:de:s2w-2636

ΣΥΝΧΑΡΙΣΤΙΑΙ

Quas

REVERENDO ET

CLARISSIMO VIRO MAT-

THIAE HOE Austriaco, cum Serenissimi
Electoris Saxoniae Dn. Dn.

CHRISTIANI II.

*Clementissimo nutu, ad verbi di-
vini Ministerium in Aulam Dresdanam
Administer vocatus, VViteber-
gae valediceret.*

Faustae gratulationis, & omina-
tionis, sempiternae recordationis
σύμβολα publicè, libenter, me-
ritoq; collocavimus,
Amici, & Populares sequentes.



W I T E B E R G A,

Typis Wolfgangi Meisneri, Anno 1602.

(220)

Quod sequentia συγχρισματα publicis
 typis edi permisi, quae so per Deum,
 noli id vel arrogantiæ, vel, ambitioni,
 quicumq; bonus es, tribuere.

Voluere Autores, his suam erga me
 declarare benevolentiam, & amicam
 affectionem, voluere, & studijs, & vi-
 ta testimonium aliquod præbere; (quam-
 vis, quas immodicas laudes habent, i-
 psorum affectui, & amori, non verita-
 ti ipsi ascribo) voluere votivis cõpre-
 cationibus, & gratulationibus sponta-
 neis suis, vocationem meam ad arduum
 munus excipere; hæc q; omnia omnes,
 ut occultentur, non voluere. Quare
 quicumq; es, exorare hoc, à MOR-
 DACI IUDICIO ABSTINE quod
 fiet, si non, invidia, vel odii æstro, sed
 congratulationis pio zelo æstues B. va-
 le, in Christo Iesu Domino nostro.

I.
 SI quando numeros tenella
 nostra 7067
 Deduxit facile camœna
 plectro,

Cur non & subitum tibi recessum,
 H Ò E Nobilium decus, paranti
 Felicem voveat profectiōem?

Te quippe Austriacum solum,
 Lyceum

Vt & Leucoreum, parentis instar
 Communis, mihi nexuit probatâ
 Fide, quam neq; vis, nec ulla rerum
 Dissoluet facies, quoad fruisci
 Vitali, dederint odore fata.

Ergo, quod iubeat ratum I E H O V A,
 Faustis oscinibus meato ad oras
 Optatas, memor & mei subinde
 Absentis, Pylios valeto in annos.

Faciebat.

Andreas Tallinger Austriac. V. I. D.

II, Quod



Qvod obtines à patre nomen, ardua
 Virtutis atque literarum adorea
 Partum paratum; gnavus ipse, ac
 strenuus;

AEquare satagis impetu incitissimo.

AEquare dico? imò superare, quod mihi
 Divina vis promittit acris ingenii,
 Et eloquentis flumen oris entheum.

Atque huius ecce iam rei illustrissimam

Evehēris ad provinciam; quis o sui

Tam nesciusve; prodigiusve fit, cui

Quum tanta videat pignora. Ajam, an præmia!

Tam clara, tam prælustria, atque insignia,

Virtuti & eruditioni debita,

Potiusq; iam data, & soluta, & præstita;

Non amulandi gliscat acrimonia?

Adamus Th. Adami F. Siberius.

Prof. Elog. VViteb.

MATHIA, quidn i cupias parere vo-
 cansi?

Non nisi voce hominis nos Deus
ipse vocat.

Immo reluctantes in messem EXTRUDIT, &
ausûs

Ac vires timidis suppeditare solet.

Nec viles tantum plebejæ fortis alumnos,
Sed vocat & genitos splendidiore fatû.

Tu facis exemplum: Cui Principis aula vo-
cato

Suggestus aperit pulpita SACRA sui.

Surge in iussa DEI, MATTHIA; in vota Bo-
norum.

Magnum est posse Bonis, posse placere
Deo.

*Frid. Taubmanus, Fr. Poëta
& Professor.*

IV.

Quis magnum neget esse, quisve clarum,
Antiquo genere & loco celebri
Prognatum esse, Patrumq; clara facta
Narrare, indolis indicesq; avitæ,
Et ceras, & imagines referre?
Quis magnum neget esse, quisve clarum,
Virtutis propriæ vigere gestis?
Quis magnum neget esse, quisve clarum,
Immortale sacris sibi Camænis
Nomen quærere maximumq; honorem?

P lanè nemo. Genus celebre magnum est:
Est magnum proprijs vigere factis;
Est magnum studijs vigere sacris!

Ergo quis neget esse Te, H ò E, magnum
Quem magnum patrium genus, celebrem
Virtus propria, quem sacrae Camænae
Præclarum efficiunt, beantq; honore.

M. Martinus Hiluvigius,
Prof. Ethices.

V.

S ic est: ~~Occultâ se non caligine noctis~~
~~Abcondi Virtus ingeniosa finit.~~
Sed velut angusto sonipes de carcere mis-
sus

~~Acrior in gyro sustinet ire suo:~~
~~Haud secus illa suo iam facta potentior æstu~~
~~Erumpit, capite & sidera celsa ferit.~~
Cominus hoc in te nobis H ò E cernere fas est,
O H ò E amicitia fida sequela mea.
Quam tua sublimi sit virtus edita clivo
Et pietas animo tota recepta tuo:
Aulæ testatur præclara vocatio Dresdæ,
Atq; ministerii tradita cura sacri.
Gratulor hac igitur meritâ de sorte, precesq;
Voti vas superis pro pietate lito:

Cedat

Cedat vt in IOVE laudem, incrementa salu-
tis

Hinc & Christigenum grex ferat usq; suæ.
Inde Theophrosynes fidis Doctoribus almæ
Promissa in cælis te quoq; ferta manent.

Vitus Rudolphus à Stainach.

Styrus.

VI.

Q Vid querar? an sensus mihi distraxisse
dolores,

An grave metra mihi jungere tester
opus?

Impediunt mea vota; sed hæc supplere volun-
tas,

Debet, amicitia pro ratione meæ.

Dum te discessum repetit V Viteberga pa-
rantem

MATTHIA, studijs te sequar usq; meis.
Vtere sorte tuâ, meruit quia plurima Virtus,
Fortiter impensus nocte dieq; labor.

De te quid docti selecta Corona Senatus?

Doctrinæ en testes satq; superq; tuæ.

De te quid sacris studijs addicta Juventus?

En tenet ingenij sat documenta tui.

Multa

Multa quidem Patriæ cum quis deberet, at
obstat

Esavita tuus perditus ille furor.

Docto dulce sat est, alienis vivere terris,

» Ingratum patriæ si velit esse solum.

Sic multos alio juvat exportasse penates,

Vt fugiant pestes, impie Papa, tuas.

I benè, quò jamnum te vult D E V S ire voca-
tum,

Officio eveniant commoda multa tuo.

Salvificum resones nunc per sacra pulpita
verbum,

Hoc & pasce, Deus quas tibi credit, oves.

Austria vilescat sub Magni Principis umbrâ,

Contemptrix maneat si tamen illa Dei.

Hos abiture meos pro testib. accipe versus,

Non alio potero cum dare signa modo.

Sufficit, absentem si me cognoscis amicum,

Et fuero, plus non competo, V I V E

V A L E.

F. Lubens meritò Amicus
amico

*Joh. Reinpertus Inderseer ab In-
dersee Austriacus.*

VI. Quas

Quatuor exegit, revolutis mensibus, annos

Cynthius, & quintum jam renovavit equos,

Cum te Leucoreis excepit Oreasi Phœbus,

O specimen doctæ nobilitatis, H ò E.

Prima tibi blandis sese insinuavit ocellis,

Obtulit & niveam Calliopea manum.

Mox Arete, ac Aretes, tardè licet, edita læto,

Eugenie, primâ te præiere viâ:

Ponè Charis, Charitumq; soror subvenerat,

Hora,

Et mea stelliferis Theosebea comis.

Omnibus unus erat vultus, vox omnibus una:

Vivat H ò E, Eugeniæ gloria, vivat H ò E.

Protinus hæc tacitam secretò Sancus in aurem

Dixit: ad hanc oculos flecte Poëta tuos;

Hanc ob cognatos tibi Theosebea labores

Fædere perpetuæ junget amicitia.

Dixit, & haud falsò dixit: namque hæctenus

una,

Viximus in studij simplicitate sacri,

Hosq; vel hos unis latices gustavimus horis,
Quos dedit è puro Theofebea cado;
Hosq; vel hos unâ despeximus indole cinnos,
Quos fovet in turpi mystica hyæna sinu.
Hactenus hæc: quid nunc? ego civica rostra
Fribergæ;

Aulica tu Dresdæ pulpita scandis, HÖE,
Te patriæ dare sacra meæ jubet ENSIFER;
idem

Non procul à patriâ me dare sacra jubet.
Hæc individui sunt omnia pectoris: Vt nos
Mutuus unius Principis ardet amor:
Mutua sic animi durabunt fædera nostri,
Fædera divini glutine iuncta favi.
I ut, commissumq; gregem benè pascere: re-
cum

Ibo, tuiq; animi pars aliqualis ero.
Felices animos; pietas quos unuit: illos
Nec postrema potest solvere sandapila.

*M. Fridericus Balduinus Dresdæ,
P. C. designatus Fribergensis Diaconus.*

VIII.

CHHRISTIADES Dux Saxonæ, huius
nominis alter,
Postulat ut verbi Mysta sit HÖE sacri.
Hinc

Hinc abitum parat & Dresdam felicibus an-
fis

Accelerat; fati sunt rata vota sui.
Vade bonis avibus, quò te vocat ara, DEVSq;
MATTHIA, & porro sis memor, oro, mei.
Vive diu faustus, sic gloria magna tonanti
Surgit, & æternum te quoq; fama manet.

Felix Starzer. V. Austriacus.

IX.

ECquis ego? te iam per culmina celsa Sa-
cratum
MATTHIA excepit Theologiæ co-
lumen.

Vix ego iam primas gustavi Iustitiæ artes,
Cum tamen unà olim discipulus fuerim.
Scilicet haud uni naturæ commoda cedunt
Omnia, distribuit dona DEVS variè.

Tu tamen intereâ divini ô iuste colone
Agri: me immemorî haud suscipias ani-
mo.

Sed velut in cunctis tibi adopto prospera cœ-
ptis:

Me commendatum tempus in omne ha-
beas.

Sic tibi per summi sternat fama aurea coeli
Culmina iter: vivas, atq; diu valeas.

Carolus Kriechbaum,

Syrus.

X.

Non probo simpliciter, quod di-
citur: Exeat aulâ

Qui cupit esse pius, qui cupit esse
probus.

Ommino nec enim vel perditus auli-
cus omnis,

Perdita vel dici quælibet aula
potest.

Sed mihi sufficiet contradicentib9
aulam

Ensiferi nostri proposuisse Ducis:
Quæ propter studium pietatis iusti-
ciæque

Est per Romanum nobilis impe-
rium. Quid?

Quid? quod sufficiet præclaro lan-
guine cretum

Temet H O E N cunctis proposu-
isse meum:

Qui propter studium sinceræ Relli-
gionis

Es per Leucoreum nobilis empo-
rium:

Indeꝑ Saxoniam Mystes vocitaris
in aulam,

Vt, quod eras meritis, nobilitère
magis.

Ist hac prosper abi, declamans: exeat
aulâ,

Qui negat esse pius, qui negat ef-
se probus,

*M. Christophorus Jordan VVonside-
lius Variscus.*

XI. Ven-

Venturum DRES DAM te iam te-
net, HÖE, Suita :

Huius enim faciem novit & ille
foli.

Vsq̄ suis is te grunnitibus usq̄ la-
cesset, (poli,

Dum plantare tuo regna labore
Et Stygij dum regna Caci disperde-
re perges,

Furfuribusq̄ S V V M dum revela-
re solum.

Hic quoq̄ non nullus pallet, stupet,
oscitat, odit;

Quòd pompam & dives nil re-
morère forum:

Gaudia dumq̄ sacro venerantur
longa tuorum

Te circo, quidam rumpitur invi-
dia; Laci-

Læticiæ clamor quem, credo, ter-
ruit ipse :

Addere quodque queat nil tibi fa-
ma, dolet.

Et DOLEAT : plaudant modo Theo-
logique Sophieque

Clericus esse potes, Nobilis esse
potes.

Clara tuis laribus suffigere perge
trophæa,

Et spolijs antes condecorare sa-
cros.

Incolumis DOMINO tanto sub pon-
dererum

CHRISTIANO, atque aulae resti-
tuare precor.

F.

M. Georgius Zeemannus Horn-
bac. Pal.

XII. Christe

XII.

CHRISTE ministerium Matthiæ de
HÖHE secunda,
Ampliet ut laudem maxime Chri-
ste tuam.

M. Laurentius V Vagener.

XIII.

N Vper ut Abliacis me matutinus age-
bam
Campis, vt vegetam corpus haberet
opem.

Heu Patriam afflictam pertristi corde volu-
tans

Sustinui ad casus ingemuisse truces:

Tunc conturbata versantem talia mente

Arrisit flatu suaviter aura sua.

Æthera captando mitem auram suspicienti

Excelsi rerum nobile Patris opus:

Nuncius ecce Deum claro demissus Olym-
po

Divi oratoris talia voce refert:

Quæ

Quæ te cura? Deo commenda, respice finem
Temporis antiqui & prævia fata Patrum.

Num viridis Palmæ fontana mergitur unda
Sarculus? aut celsa non Deus arce sedet?

Antiqui repete Augustini tempora lapsa,
Quæ certè hæretici plena laboris erant.

Cætus disperdet sancti hostes ipse I E H O V A,
Vestrum est huic votis usq; litare preces.

Quodq; decet, proni studiis infurgite vestris,
Per quæ tunc Patriæ I O V A ministrat o-
pem.

Sic ait. O utinam popularis turba Camoënis
Culta sit exemplo, Nobilis H Æ E, tuo.

Plurima non Patriam nostram vastaret
Erynnis:

Nec turbaret Eris sancta statuta Dei.

Ergò tuum meritò tibi nunc congrator hono-
rem,

Ceptis exoptans omnia fausta tuis.

Proq; tua cætusq; Dei noctesq; diesq;

Accedam votis, ipse, salute, Deum.

Vt tua, quam nactus, veneranda vocatio fruge

Non expers vigeat, numine dante suâ;

Area sed Christi de tantâ messe referta

Adjussus summi prompta fit usq; Dei.

ΣΥΓΓΡΑΜΜΟΣ ΤΗΣ ΕΥΧΗΣ F.

*M. Christophorus Steidlmeir Pur-
bachio-Austriacus.*

Q Vi serit, ille metit, Sator es,
 tibi messis in agris,
 Divini ingenij semina sparge no-
 va.

Quin spargis, populumq; Dei quin
 nectare pascis?

Nectare & ambrosia pascere quin
 statuis?

Nobile pol ceptum; magnus D E V S
 ille dynasta

Successus ceptum faxit habere
 tuum.

Austriadumq; decus divino flamine
 ducat

Divinaq; sua te tueatur o-
 pe.

Ludovicus Puschius
Austrinus.

Saxonis en. dudum, jam dudum Suevica
 tellus
 Plurima Theologum lumina jactat o-
 vans.

His licet Austriadum quassatis duriter arvis
 Quippe minus similes commemorare vi-
 ros

Theologos dederint paucos, itidemq; mino-
 res

Quod Re, tum fama nominis usq; sui.
 Sed tandem Patriæ Christus miseratus ab alto:
 Afflictam simili munere ditat humum.

Insignem Austriaco Matthiam suscitât orbe
 Carmina Papicolis qui fera cantet, O H E.
 Hunc tandem Christi servis apponimus illis
 Cum genere eximium, tum pietate, Vi-
 rum.

Cui Pater Austriadum Magni pars ampla SE-
 NATVS

Amplaq; Consilij pars FERINANDE tui.
 Hic studio vigili celer alma volumina vatum
 Evoluit, Sacris seq; animumq; dedit.

Hic benè nunc Divum prudens Mysteria
 pandit

Et Sathanam, Sathanæ colluvicmq; notat

Hunc sibi CHRISTIANES Præconem quaerit, & optat

Septemvir, Rostris ritè dicatq; sacris.
Quem Salæ Dominum venerantur & Albidos
arva

Fundere perq; Aulam cælica verba jubet.

ERGO MATTHIA probrum cum solveris
omne

Inclyte nunc patriæ: quæ tibi vota feram?
Euge Ministerio veniant quàm plurima

CHRISTO.

Emeliore tuo commoda, cultus, honor.
Euge Ministerio capiat RESPUBLICA sacro
Commoda, tum PRINCEPS, multa, decusq;
tuo.

Euge Ministerio capias & TUTE vicissim
Commoda sacro multa, decusq; tuo.

Euge Ministerio veniant & commoda STIRPI
Multa tuæ: PATRIAE gloria, fama, Decus.

Euge Ministerium tandem per & omne; la-
bellum,

Corq; tuum Patriæ fata secunda rogent.
Templa per ac vrbes eat ut pax aurea: surgat
Plura virum Patrio lumina tanta solo.

Tua Reverentiæ

Observantis:

&

Studiofissimus

Christophorus Viechterus Dolensis Carinthius.

XVI., Felicè

Felici pelagus studiorum radere prorá
 Multum res, isthæc arduitatis habet
 Grandior at multò labor est, advertere na-
 vem

Littori, & in portu posse locare suo.

Hoc quia sedulitas H ò E nobilis, atq; laborum
 Vis faustè obtinuit. perpetuata tibi:

Et jam devictis pelago hoc fervente procellis
 Clara Coronatâ jubila puppe, sonas.

Eccur non festas gratanti voce Camænas
 Læticæ pangam candida signa meæ.

Ergò salutiferæ precor hæc facundia linguæ
 Sancto Christicolûm fit diuturna gregi.

Non vacua ad Iovam redeant præconia vocis
Cœlestis, fructu sed cumulata gravi.

Annuat, & finem votis Deus asserat illis;

Hæc patrocinio debeo votatuo.

à

Balthasare Kesselboden Carintho

nunc à Patriâ exule.

O qui conspicuis, H ò E, utrisq; parenti-
 bus ortum

Ducis, & à summâ nobilitate genus.

Adspice sublimi Deus ut te afflârit honore,

Magni quippe viri munus onusq; geris.

ergo iatunero illantia pabula rore
Cœlestis Christi pascito vocis oves.
Prospice, & ad ritum centeni luminis Argi.
~~Ne Leo Tartareus vastet ovile Dei.~~
Pascere ritè gregem beat, haud male vivere:
fidum

Pastorem semper jungere utrumq; decet,
~~Non moneo: scis hoc, Hœc me vel rectè ipso.~~
Quodq; Ministerij cura requirat opus.
Officij potius tibi tantum grator ob augmen.
~~Et favo meritis pectore, voce, tuis~~

A. C. P. E. F.

Paulus Claus V. Austr.

XVIII.

ERgone stat verbum immotum? **VVITE-**
BERGA VALETO:
AVLICA DRESDENSIS ME CV-
PITARA SVVM.

Mira Dei fors est: Quis enim dixisset id ante
Annum? Iam vates nomine req; foret.
Nosse futura Dei est, qui miro tramite sanctos
Ducit, & optatâ sede locare solet.
Si tamen ex hominum genio quis iudicet acta,
Diceret: Hœc su mune e dignus erat;
Convenit, ut Claro prognatus stemmate,
CHRISTI
Mandatum faciat Nobiliore loco.

Hoc

Hoc ut ut est, fuerit divina vocatio, nostrum
MATTHIAM tali conditione frui.

ALBI pater lætare, tuum quia præterit alveum
HÖE, fac ut blando murmure gurges eat.

Quin memori teneas animo, quæ quantaq; s-
lumno

Beneficia
~~Præstita ab hoc ipso sint benefacta tuo.~~ *vis*

Dum licuit decimo, famuli vice, mense per-
acto

Tàm celebri studijs invigilare scholâ.

Debitor existo, donec mandante IEHOVA

Spiritus hos artus liquerit, ossa Calor. *officior*

Nunc ut sim gratus, voto comitabor euntem:

Ilius gressus Iova beare velit.

MATTHIA, hoc vnum peto, si queat esse:

Deinceps

Sim patrocini pars quocunq; Tvo.

Decantatum

*ab ipsius Rever: Excell: studijs omnibus
addictissimo Famulo*

Abrahamo Mezenero Fribergensi.

XIX.

Dlum est, & magnū, cui te Deo ipse piusq;
Legitimæ rector præficit, officium.

Magne vir, hoc sanctè grator, precor opti-
ma quæq;

~~Rauperis & votum quin age pondus habet.~~

Christianus Bruno Bruchsenus. Quin

CVm patrio nuper dicatus cultui,
 Ascenderes in concionem, Nobilis
 H O E, pieq; verba nobis funderes
 De pervicacis AntiChristi dogmate,
 Plebis misella fascicante pectora,
 Mecum sub imis cogitabam sensibus:
 Quid esse suspicabor hoc miraculi?

Rarenter herclè nobili jam nomini

Respondet omen, quolibet vel iudice:

Armare se pauci solent hoc tempore
 Ad sacra maximi I E H O V A E Biblia.

Ergò beatum iudico te Nobilem,
 Qui cælici sic Hippocrènes gnaviter
 Potas liquores. At brevi, quod auguror,
 Frueris optimo laboris premio,
 Vt duplicatis fulgeas honoribus,
 Et audias posthac, **BEATI CODICIS**
PERNOBILIS DOCTOR. Quid autem postea?
 Isto probando laudis heic aculeo
 Industriores fortè reddes cæteros,
 Qui splendida sunt nobiles pro sapia,
 Vt luculenter te sequantur prævium.
Virtus prioris insequentem suscitatur.

Mattheus Gothus Secundus.

F I N I S.

VVitedergæ, Impensis Bechtholdi Raab.